





4.

2.

20

EPISTOLA
BALTH. VENATORIS,

AD

ILLUSTRISSIMUM
DOMINUM,

Dⁿ. ANDREAM,
COMITEM de LESNO,
PALATINIDEN BEL-
SENSEM, &c.

*In quâ presens Germaniæ conditio
describitur.*



ANNO MDCXXXVIII.



ILLUSTRISSIMO
ANDREÆ, COMITI
DE LESNO,

BALTH. VENATOR S. D.



I tu non descendisses olim, illustrissime Comes, à fastigio fortunæ tuæ; cùm Aureliæ te colerem, mensâ tibi conjunctus, & hospitio: haud ego in animû induxissem meum, è loco tam humili, quo me natum cõfiteor, ad idem illud fastigium tuum ascendere. Humanitate enim tantâ me complexus es, in illâ parte Galliæ: ut nunc usque in Poloniam, & in ipsam tui splendoris sedem, cogitatione, laudibus, & literis, te sequi & affectari non dubitem. Dictum quidem AUGUSTI rectè memineram; *Non putavi me tibi tam familiarem: sed & alterius in mentem venit; cùm reprehenderet illos, qui ad eum accederent non aliter, quàm qui Elephanti præberent assẽm.* Confidentia etiam idè plus indui: quia te nôram eruditione tantû eminere inter homines illustres; quantum supra nos minores gentes assurgis gloriâ nascendi. Ad animum enim sæpè revoco tempus illud, & eum, quem dixi, locum: ubi, per lusum & jocum, modò carmen jaciebas; modò per Philosophiæ campos incedebas; modò Historicæ scientiæ significationes luculentas edebas; aut sermonibus, qui ad Religionem & Fidem pertinent, ità peritè aures nostras tenebas: ut singula illa te unice tractare credidisset; cui non notum fuisset, te pariter illis studiis operam dedisse, quæ dignitati tuæ cognata, quandam illi dignitatem afferrent. His igitur artibus, quæ ferociam etiam asperis ingeniis demunt, instructissimus, animum mihi addidi.



sti: ut & temerè peccare, & facilè veniam sperare, simul au-
derem. Etsi enim optimarū literarum in me tanta fiducia non
est: ut aut mihi in illis aliquam laudem, aut eruditissimorū ho-
minum amicitiam vindicare possim: tamen te, Humanitatis
ipsius, & Gratiarum velut digitis, ità formatum & excultum
scimus: ut verendum mihi non videatur, ne rejicias eum; quē
si nulla pars eruditionis, saltē virtutum tuarum admiratio,
commendat. Sicut enim vos Magnates, in pedissequo alicujus
magni Heri, soletis characterem vestrum honorare, eumq; do-
mini causā amare ac suscipere: Ità viri doctrinā & sciētīā prin-
cipes, etiam illis gratiam suam promunt; qui Musas, si non in
ipsis adytis, certè tamen in limine, salutârunt, & in earum fa-
miliâ censentur. Tibi non potest deesse hujusmodi egregia vo-
luntas: sive præstans eruditio tua tibi animum flectit atque e-
mollit; sive paternæ mentis semina pectus tuum spontè com-
movent: ut, patrios mores imitando, tanti patris filius esse co-
gnoscaris. Ad te enim referri velim, quod Ulysses de Amphio-
nomo:

*Amphinome, & prudens mihi vir sapiensq; videris;
Quippe pater talis. nec nos bona fama fefellit,
Nisum Dulichium ditem simul esse probumq;
Teq; satum ex illo mentem retinere virilem.*

Ità enim profectò est: illustrissimi Patris tui bonam famam la-
tère non sinunt, cū ceteræ ejus virtutes; tū illud maximè
recens, & Orbi conspicuum beneficii genus: quo sibi tot Ex-
sulum vitas, fortunâq; & conscientias, devinxit. Nam cū,
Religionis causâ, dissipati vagarentur propemodū toti po-
puli, omnibus divinis humanisq; juribus spoliati: beneficen-
tissimus ille, naturâ tuus, pietate miserorum cōmunis Pater,
illis ditiones suas, portas, ipsa atria & templa, animum deniq;
aperuit: ut non solū tutis sedibus, sed etiam pectori ejus,
quod nobilissimum misericordiæ & munificentiae hospitium
est, succederent. Quæ dum apud animum meum cogito; mul-
ta simul & miseranda cogito. Etenim in his oris, & in totâ ferè
Germaniâ, primū quidem, omnis propè Literarum gloria,
quæ ante annos hosce viginti insignis fuit, extincta atque se-
pulta jacet: nec nobis bellum, aut Studiorum sedem, aut Lite-
rarum doctores, aut Artium sectatores, aut deniq; earum cura-
tores,

tores, ullibi, quod sciam, reliquit. Exfilium est, quicquid vides. Quisquis hinc natus atq; educatus vivit, Patriam in Patriam non invenit; non populum in populo; non opes inter opes. Ne me monstra loqui putes; hoc explicatius ita accipito: perisse, quicquid decoris aut emolumenti fuit, sub hac parte caeli. Idem enim oppidis, villis, agrisque & campis evenit, quod homini adolescenti; quem formam & valetudine nitidissimum, morbus atq; tabes superveniens, ad cutem & ossa, ad larvalem speciem, & dissimilitudinem sui, redegit. Quippe vastitatibus nostris nihil usquam simile aut par habetur; exustis passim aut collapsis villis ac tectis: in quibus etiam integris, praeter cassas araneas, nihil, neque hominem quidem, aut canem, aut glirem, videas. Horrendum silentium, omnem ubique vocem & strepitum proscripsit. Quam infrequentiam, non tam fuga populi parit; quam quaedam generis humani in his oris extirpatio. Paucissimis enim in locis, tantum relictum est mortalium: ut novam generatione qualiscunque posteritas fieri possit. In plurimis non unus, plerisque vix duo tresve supersunt, qui coetum conficiant. Atque hi quidem aetatem agunt, inter vitam mortemque; mediam; aut mortis potius candidatam. Quid enim, in tanta rapacitate Militum, tamque effreni licentiam, & desperatam disciplinam, omnino reliquum esse potest? factam praesertim Militum potestate, stipendii, pro libitu, ubi, a quibus, & quantum animo & avaritiae visum, quaerendi. Quod jus, incredibile dictu est, quantum violentiam, & quibus cruciatibus, exerceatur. Stipendium autem vocant, quicquid argenti, auri, pecoris, aut instrumenti domestici, placuit. Omne hoc ultrò sumitur; aut minis exprimitur; aut carcere provocatur; aut plagis extruditur; aut tormentis extorquetur. Pro levi est, honestissimos Cives, & amplissimos Senatores, illiberalibus custodiis mandare; factaque solam panis & aquae copiam, non prius dimittere; quam, undecunque inventam pecuniam, avaritiae puteus imperatis summis completus fuerit. Eam ratione nobilissimam atque opulentissimam Civitates, etiam illae, quas Imperiales, & vano nunc nomine Liberas, appellant, quotidie excarnificat; nullam servitutis specie omittit. Si qui, metu talium, rebus omnibus perditis, corpora sua injuriae subducunt, & exfulare malunt: eorum domus,

quàmvis ornatisimæ, solo æquantur. Incedit mœstus Senatus; Civis sordidatus; Vulgus esurie scdaturum. Ditisimus existimatur, cujus res familiaris pane saltèm non laborat. In minoribus oppidis, adhuc multa immaniora fiunt: & patet cuivis, gregario juxtà ac duci, amplissima janua regnandi. Ubi deterrimũ illud est; quòd Cives, qui cum suis fame exarescunt, Militibus alimenta ministrare & supportare, ægris corporibus, coguntur: exspirantibus sub hoc onere oppidanis pariter, & colonis. Ceterum plerumq; populi, tergiversatur mori, colligendis minutissimis stipibus: quibus tamen vitam non servant; sed, utcunq; diem ex die lucrando, ultimam necessitatem retardant. Nemo est ex istis licentiosis omnibus, qui jus, fas, æquum piumque, leges, edicta & interdicta, ipsumq; adèd Imperatorium nomen, reverentiæ habeat. Unius hominis aliquot manipuli, qui summo Principi neque usui, neque decori sunt, totas illas ditiones, quæ inter Rhenum & Mosellam continentur, jam longo tempore, viris, opibus, rebus denique omnibus, ità inclementer spoliârunt: ut centum anni vix reparaturi videantur, quod duo trësve subverterunt. Postquàm igitur omnia insatiabili horum avaritiæ cessere: postquàm urbes, agros, villas, domusq; singulas, cunctis humanis opibus funditus evacuârunt: ad majorem feritatem conversi, ambulantià cadavera hominum, furnis inclusa, igni mox adjecto tam diu ustulare cœperunt; donec vi doloris cogerentur prodere, arcanas (scilicet) ac reconditas opes suas. Heu miseras atq; inopes opes! quæ consistebant in pyris, eodem in furno, huic usui arefactis & coctis: ut meliùs intra rugas suas senescerent, & alimentum ultimum forent ultimã famem perpesis, & à spe omnis cibi melioris, in istâ quidem calamitate, exclusis. Accedunt his tormentis sexcenta alia: quæ singula exsequi narrando, non minùs difficile, quàm satis ad justum metũ foret: ne videar sumsisse partes, scelera simul narrantis, & docentis. Nihil utique prætermissum scimus ejus crudelitatis, quâ usum ferunt Homericum illum *Regem Echetum*, quo non vir *perniciosior alter*. de quo Antinous apud Poëtam:

*Nasum qui ferro, qui ferro demetat aures,
Et genitalia det cambus discerpere cruda,*

Illud

Illud ab ipso Orco prodiit; quod adhuc frequentissimè humana corpora, instar utrius, supplicii causâ, plurimis aquis distenduntur: nunquam fando audito, nusquam alibi viso, nusquam lecto immanitatis exemplo; inter nos verò tam frequèti usu: ut vix agrestium quisquam sit, nullo sexu, nullâ ætate exceptâ; qui hos cruciatus non aliquando expertus fuerit. Porrigitur humi, ad sævum hunc ludum raptus Innocens: supino ejus ventri innititur latro; & erecto inter utramq; dentiũ sepem fulcimento, cubantis hiatum distinet. Stat juxtâ alius truculentus, qui cavo capitis pileo liberalissimũ rivum, è coluviario aut palude haustum, patienti gutturi defundit. Sonat in faucibus descendens aqua; & spiritui reluctanti obviã facta, perrumpit inceptum iter. Tumescit indè aqualiculus: cõplentur viscera. manat adhuc infusio; eademq; diurnâ contentione iteratur. Interim miser ille potator, suffocatus multitudinẽ sordentium aquarum, pro mortuo extenditur: auditus visusq; deficit: errant oculi: tumultuãtur aures: intus sensus omnes exsulantur: per os, perq; nares, abundantia aquæ regurgitat. tum, ne quid crudelitatis desit, Carnifex inflatum illum & infelicem ventrem pedibus tentat: & librato supra semianimem saltu, quod cum dolore infuderat, majori cum dolore exculcat. Compressum enim pondere adactõ corpus, internã copiam ad omnes exitus remittit: atq; ita acerbissimus potus, uno meatu delapsus, per plures salientes, aut velut singultientes fontes, emicat atq; erumpit. Hic finis tristissimi facinoris; interdũ etiam finis vitæ: aut, si vivitur, non sanè finis malorũ, quæ sævitiam istam sequuntur. Succedit enim livor in vultu; tremor in membris; nausea in præcordiis; languor in toto corpore: &, post hæc omnia, properatio mortis. Huic crudelitati germanum est illorũ scelus; qui vinctos manibus pedibusq; & velut in nodum collectos, in carnarium seu furnarium extollunt, & pro aheno de climactere suspendunt; facto inferiùs luculento igni, qui pendentes perfrigat & torreat. Interdum, trajectâ inter crura & brachia pendentium perticã, duo, inter extrema illa utrinque assidentes, velut oscillo jactantur; donec animam exprimant suspensis. Compertum est, alios, per barbã tigno innodatos, in aëre diu sublimes fluctuãsse; neque

neque tignum prius, quàm in tigno barbam, reliquisse. Verecundia me pro hibet dicere, quibus partibus cætera suspendia peragantur. Atque, ut olim Hectorem ferunt circa Ilium pedibus tractum: ita miserum vulgus, ruri deprehensum, iisdem illis partibus, quæ dicere pudet, circa casas suas raptatur. Aliquando lubet clavos ferreos scapulis impingere; interdum, quod ad præcipuam sævitiam pertinet, ferrum ignitum & candens ori atq; faucibus intrudere. Simpliciter verò occidere, crura & lumbos frangere, fustibus & vulnere mulctare, ut quotidiana sunt; ita inter clementiæ exempla quodammodo habentur. Et hæc quidem adversus illos exercetur, quos fames jam diu exercuit: quos infirmitas poplitum vix sustinet: quos serpere magis, quàm ambulare, dicas: quiq; transfugas vitæ habitu oris confitentur. Nam, cum fortunas copiasq; omnes Miles ita comederit, & contraxerit; ut nihil suppetat incolis, quàm herba, radix, aut virgultum; aliquando etiam, cum lautiuscule vivitur, arborum fructus: perire valetudinem oportuit, quæ tam absurdo cibo fulcitur. Lappas, urticas, viscum, & alia minus vesca, diligenter legi; atque iis cavi ventris jejunia, sine adipe tamen, sine sale & pane, instaurari, videmus. Cadaver equi, aut pecudis, si quod projicitur: involat statim parata plebes, & obscenum illud macellum diripiendo, canum & volucrum viscerationem antevertit. Felibus atq; gliribus nequicquam parcitur. Ranarum etiam ubiq; minus movetur: quas depopulati esurientium greges, effecerunt; ut hic deesse coeperit, quod nemo unquam parum abundare conquestus fuit. Neque absurdum videri debet, quod nuper ex disertissimo atq; optimo Viro audivimus: Ranarum multitudinem olim, sacris asserentibus testimoniis, in Ægypto poenam fuisse; nunc divinum munus futurum, si ranarum copia quàm luculentissima haberetur: libenterq; gentem nostram carituram cœlitus profecto coturnicum com meatu; si Pharaonis poenam, quam Deus in beneficium vertere vellet, frui possent. Nam, quantum hujus animalculi desiderium, & quanta in eo desiderio necessitas fuerit, inde cognosci potest: quod miseri nonnulli, aviditate nimiam abrepti, rubetas pro ranis nacti, & vi veneni percussi, non multo post, lethali cibo interierunt. Sunt hæc quidem præter consuetudinem

tudinē victūs humani; sed nondum præter rationem. Illud verò summis prodigiis adnumerandum; quòd Homines inventi sunt, qui carnes humanas appetant, & (ut ità dicam) pulpamentum suum quærant. Obstupescit animus, quoties cadavera mortuorum, ab egenis, dum infepulta atque neglecta jacent, concisa, verui accommodata, & flagitio ventris indulta, cogito. Non nimis pridem est, quòd ab iter-facientibus repertus est in vico rustico puer, ibidem loci natus, qui ad ignem versabat pulpam carnis. Cui viatores, Fili, inquirunt, unde tibi oblatae hæe carnes? Ego mihi, inquit, ab hac meâ sorore sumsi, postquàm modò diem obiit. simulq; monstravit sororis defunctæ corpus, & lacunam, quam cultro inciderat. Attoniti casu tam inopinato viatores, alius alium intueri, suspiria ducere; &, redintegrato itinere, puerum suæ cœnæ relinquere. Addam majus portentum, & recentius. In Palatinatu Bipontino, muliercula quædam rustica, fame diu fatigata, conceperat animo incredibile nefas: neque ab eâ mente destitit, donec exsequendi occasio esset. Puerulus, quinque annos natus, vètitare solebat in casam ejus, quam dixi, mulierculæ: quæ, flagrantissimâ cupiditate edendi incensa, blandâ oratione puerulum forâs educit. Comitatur is vicinam minimè suspectam: quæ ad fontem quendam progressa, aliud quidvis agenti & cogitanti puero, runcinam ferream desuper infligit; & ictu eo necatum, in proximam sylvam festinabunda pertrahit: ut homicidio detestabilem popinam adjungat. Dissectum enim in partes puerile corpus, detestabilis mulier, excitato igne coquit; & ad ingluviem ità paratum, nefando ore consumit. Heu numinis Siculo monte ardentio rem iram! Tantùmne piaculum inter homines, interq; Christianos, aut credi; aut in animum cujusquam admitti; aut ab ullo, nisi furioso, posse perpetrari? Sed accessit aliud, non minùs impium & horrendum facinus. Eadem enim illa Catharina, (hoc pesti nomen) decimotertio die post, suafore malo genio, & urgente cupidine vorandi, puellam quandam duodecim annorum, quæ miseri patris unica fuerat, in ædibus suis mactavit. Venerat ista infelix puella, nocte jam multâ, ad ostium Catharinæ; petieratque, ut sibi liceret, noctis ingruentis causâ, sub tecto esse.

B

Paratum illicò officium : recipitur Otilia (ità vocabatur puel-
la) non solùm tecto , sed etiam lecto : in quo tamen Catharina,
cum quâdam Cæciliâ , & parvâ suâ filiâ , simul cubabat. Nocte
jam provectiore , consilium necandæ puellæ subrepsit ; idque
Cæciliæ aperitur. At hæc amicam suam , per amicitiam &
utriusque salutem obtestari ; ne pessimæ voluntatis illecebris
sefe obsequentem præberet. Filiola quoque Catharinæ , ma-
tris , tam abominanda loquentis , ori manum opponere , tam-
que atrociam verba ac facta deprecari. Verùm mater , neque
filiæ , neque vicinæ precibus permota , hospitem puellam , quæ
nihil de iis insidiis intellexerat , surgentem surgens sequitur :
ac , dum misera illa vestem corpori circumdat , correptâ illa fata-
li runcinâ , partem capitis , quâ mollia tempora citam mortem
præbent , ità comminuit ; ut multo cum sanguine animam sta-
tim humi effuderit. Ei Catharina mox expedito cultro jugu-
lum solvit ; & membratim conciso corpore , caput quidem in
furno , cæteras partes in lebetibus coxit ; unâque cum Cæci-
liâ gulæ & fami perlitavit : adipe tamen priùs , quæ deinceps
macris jusculis gratiam afferret , in vasculum collectâ. Sed
hæc deinde capite pœnas luit Biponti. Alzæ , simili exem-
plo , à mulierculâ in alias sui sexûs sævitum. Otterburgi quæ-
dam , & occidit puellam , & ex eâ sibi obsonia paravit ; & , quic-
quid carniû sibi minùs necessarium videbatur , pro suillâ aliis
divendit. Non procul Tabernis montanis , quædam unde-
cim annorum puella , fame excandescente , adeò nuper perdi-
derat ætatis & sexûs sui clementiam : ut puerulo , non ampliùs
quinque annos nato , fasciâ crinali spiritum eliserit ; & è carni-
bus sibi elixam & affam , ex intestinis farcimina , concinnave-
rit. Equidem , dum tam abominanda scribo , vix mihi consta-
re rationem fateor ; quo loco , quo tempore , & de quibus ho-
minibus , scribam. Nam in Germaniâ , à Germanis , & ævo
Germanorum , quo se barbaros olim fuisse non ampliùs cre-
dant , adeò fera facta perpetrari , tantum admirationis habet ;
quantum res ipsa stuporis. Sed hæc justitia Dei est ; quæ à no-
strâ injustitiâ pœnas sumit , expeditis in nos omnibus iræ suæ
instrumentis. At bellum tamen , pestilentia , exsilium , clades
Patriæ , & fortunarum communis ruina , non faciliè ad istos im-
manes

manes casus gentem hanc adduxissent : nisi Militis nimia contra ingenuos potestas , quã nemo moderatur , primùm omnes facultates interemisset ; deinde vastitatẽ terris dedisset : ut neq; aratro locus sit ; neq; segeti fides ; neque messi custodia ; neque arvis labor ; neque colonis jumentum ; neque jumentis certus ac permanens dominus. Omnia enim sibi hæc vendicant & rapiunt , qui militiæ autoritate excusant. Itaque ager sinè usu & cultu stat vacuus : compareret mortalium nemo , nisi fortè rarus aliquis ; atque ille quoque in fugã potiùs & metu , quàm in itinere aut labore. Profectioni obnoxius , per multa millia toto die hominem non invenias , quẽ de itinere saltẽm percuncteris. Commeatum nisi tecum ultrò fers ; scilicet esuriendum est : & fontibus situ corruptis , nisi de potu curam anticipas , sitiendum. Tales fuisse campos illos desertos , quos servituti Niliacæ ereptus populus , quadraginta annorũ spatio , peragravit : ubi illis è cœlo panis , è rupibus aqua , petenda erant , ne periret. Si dixerò , Aves quoque recessisse ab his terris ; nihil falsi dixerò. Ductis enim in loca opulentiora coloniis , messem & horrea tantò majori numero affligunt ; quantò minus alibi agrorum est , ubi furtis earũ & pastui aliquid crescat. De Muriis , longè nocentioribus frugum hostibus , eadem historia est. Horũ enim innumerabilis multitudo , veluti Xerxis quædam expeditio , desertis antiquis hospitibus , ubi arborum longũ otium egestate penum affecerat , in agros fertiliores cõmigravit : & illic , cupiditate potiendi frumento , quia ad aristam stante segete pervenire non poterat ; succis mordicis apud radices culmis , sibi decimas arbitrarias fecit. Itaq; si miles omninò híc non esset ; latè grassabunda hæc muriũ familia , per ejusmodi populationes , militis officio plùs æquo fungeretur. Atqui Vinearum quoque decus , magno nostrorum hominum detrimento , quos Aquæ osiores cæteræ nationes prædicant , extingui cœpit : & Medius-fidius extinguetur , si temporum hæc ratio durat. Plurimæ enim , dum falx cessat & sarculum , sinè vitã & virtute consenescent. Deest autem culturæ officium : quia desunt homines ; hominibus vires ; viribus alimenta. Quæ si omnia adessent : pericula tamen & metus prohibent , ne quisquã ruri visum sui præbeat. Efferantur igitur non solùm agri : sed

etiam vinea dumis rubisq; strangulantur. Quod si diu ita regnatur: habebimus tandem iterum illam Taciti Germaniam, *informem terris, asperam caelo, tristem cultu adspectuq;*. Sed taedet me, in tam male politis campis, diutius circumspicere omnes querelarum causas: & in urbes regredi, non minus molestum est, quam foris periculosum. Pluribus jam supra exposui, cur in urbibus habitare parum conducatur: nec repetam, quantum servitutis mœnibus inclusum sit; sed unam foeditatem adjiciam, neque DEO, neque Terrestribus, probandam. Nam haftenus quidem viventium res, salus, facultatesque, vexabantur: nunc ad mortuos impietas atque avaritia convertitur. Quid alibi in hoc genere designatum fuerit, hinc non complectar: neque hac viciniâ nostrâ, nunc quidem, aut urbe adeo Bipontinâ, egrediar. Est ea sedes antiqua Principum Palatinorum, qui Neuburgicam stirpem condiderunt, vel auxerunt: neque sedes tantum; sed etiam funerum custodia, in cujus fide Majorum ossa requiescunt. Hanc urbem praesidio tenere jussus Pallantius quidam Moriamæus, ex mediocri civitate postremam omnium; ex opulentâ pauperrimam; è copiosâ desolatissimam, fecit. Ipsa urbs, ipsa cuique domus carcer. Omnis civis, ob crumenam, reus: omnis militum arca aut mantica, ob avaritiam, fiscus est: miles ipse vitæ necisque, & prædæ, arbiter atque vindex: ipse licitor; ipse imperium. Omnia jam habet, & omnia poscit: cum tamen miserimis civibus vix catinus supersit ad prandium; aut pulvillus ad somnum; aut lacerna ad tegumentum. Domum si inspicias: non minus inanitatum invenies, quam in ventre habitatoris. Ruta-cæsa quælibet sunt in militum perâ: pleraque ædificia in foco & cinere, aut in ruderibus. Ut autem vigilantissimus miles, quâ die, quâ nocte, clam & palam, effraCTORIS & incendiarii operam gnaviter exercuit, per ædes privatas: ita à publicis manus haudquaquam abstinuit. Arcem, Tabularia, Bibliothecam, vi reclusa, impunè expilavit: & quæ profanissimorum hominum usui non congruebant, corruptit, aut conspurcavit. Restabat adhuc Templum, aliquamdiu intactum manibus scelerosis: sed nec id quidem injuriam vitavit. Septem aditus, brevi tempore, locis furto opportunis sunt

sunt facti: aperta mox penetralia: perquisitum, quicquid illuc
cura & egestatis metus congesserat. Bis centum amplius ar-
cas, preciosis rebus, quales quidem fortuna civilis possidet, re-
fertur, militaris avaritia ad unam omnes delevit. Neque de-
situm, donec totius ditionis orbitates nihil haberent; quàm
vocem liberam, de injuriis apud Deum querendi. Perrexit
deinde impudentissimum scelus, & devolutis ingentibus
saxis, virorum Principum capulos eruit; & hominum Illu-
strissimorum corpora, impuris manibus, intra illos ipsos capu-
los, turpiter invasit & confudit. Existimare haud difficile est,
quibus modis vivos fœdaverint; qui à mortuis tributum exe-
gerunt: qui defunctorum membra, in sandapilis honestissimè
composita, distrahere, lacerare, atque aliò trajicere, non eru-
buerunt. Vix pes suo loco, vix brachium, vix caput mansit.
Inventum est sanè temerè projectum virginis Rohaniæ COR;
quod ipsa, inter ultima mandata, è Galliâ Bipontum transfer-
ri, & juxta Sororem illic sepultam sepeliri voluit; more non-
nunquam magnis familiis & dilectionibus usitato. Fuit au-
tem hæc Henrici, fortissimi & sapientissimi Rohanii Ducis,
qui nunc pro Ludovico Galliarum Rege bellum administrat,
germana soror, ingenio & pietate admirabilis. Jam non am-
plius quærendum est, an Dei hominumque odio digni sint;
qui, calcatâ divinarum humanarumque rerum sanctitate, intra
domesticos parietes Dei, in ipso puritatis contubernio, in ipso
sacrarum precum & hymnorum odéo, in cœlestis doctrinæ
gymnasio, in præsentia divinae tabernaculo, divini humanique
odii & contemptus feralem scenam peregerunt. Dei & legum
causa agitur, cum Principum agitur: quos omnia jura invio-
labiles esse voluerunt; quos mortuos, etiam jus illud commu-
ne gentium, ab improbitate defendit. Quapropter Impera-
tores, Reges, cæteræque Potestates, si non hæc maleficia vindi-
cant; suis ipsi injuriis favent: & in se mortuos videbuntur
permittere; quod aliis in alios permiserunt. Verùm, dum
tibi, Inclyte Comes, Patriæ nostræ serviles ærumnas aliquo
modo adumbrare aggressus sum; mihi injucundum hoc argu-
mentum sub acumine styli crevit: cui si paulò fastidiosius in-
hæsi; ignoscendum mihi putabis. Quandoquidem ità com-

paratum esse non nescis : ut ibi manum perpetuò habeamus , ubi nos habet dolor. Attamen , ut tandem certè finem esse oportet specie infinitis malis : ità etiam finem imponi oportet malæ Epistolæ. Quapropter , ut principio veniam audaciæ petii ; ità nunc prolixitati peto. Quanquàm nihil nimis longum videri debet ; in quo plus prætermisum , quàm relatum fuit. Certè excusatissimus forem ; si , quantum longo itineri viatici opus est , tantum etiam verborum opus esset Epistolæ longè-proficiscenti. Tùm illud cogites oportet , vicinorum litteras frequentes & breves esse ; longinquorum raras & copiosas. Vale , Illustrissime Comes ; & fratrem Raphaëlem , decus familiæ vestræ , & delicias recordationis nostræ , (si non hoc etiam audentiùs fit) plurimùm saluta. a. d. 10. Augusti,
Anno M DC XXXVII.





Ni 2086


ULB Halle 3
001 923 03X




P
Sv

WNA







B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

LA 20 2.

ATORIS,

SIMUM

EAM,
LESNO,

N BEL-

nia conditio

XXXVIII.

